



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Catharinæ Virginis & Martyris festo Epistolicam Paraphrasin, & exegesin
Euangelicam, quære in festo B. Barbaræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

uet operam, vti exemplum dedit nobis, humilians se vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt hanc nobilissimam suo in corpore sanctificaret virtutem, & per eam suos imitatores in regno sublimaret caelorum. Luc 14. 18
 Quicumque enim se humiliat exaltabitur, instar huius gloriosissimæ ac intemeratæ semper virginis Mariæ, quæ per hanc virtutum omnium Dominam in regno dilecti ac benedicti Filij sui exaltata & sublimata est, & perpetuo cum dilecto suo Filio Domino nostro I E S V C H R I S T O exultabit gaudio. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit benedictus in omne æuum, Amen.

IN FESTO DIVAE CATHARINAE REGI-
 næ, virginis & martyris & sponsæ Christi, Paraphrasin
 in Epistolam & Exegetin in Euangelium re-
 quire in festo videlicet diuæ Bar-
 baræ virginis & mar-
 tyris.

SERMO IN EODEM FESTO.

De charitate sanctæ Catharinæ, & quibus rebus perueniatur ad amorem Dei.

Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Cantico-
 rum primo. Illustrissimæ virginis martyrium insigne diem hunc,
 vt nostis dilectissimi, illustrat: cuius quanta sit in Ecclesia catholica
 celebritas, quanta meritorum excellentia, quantus honor in cælis, si enar-
 rare velimus, ante deficiet nos tempus & vires quoque, quàm quicquàm
 tanta virgine dignum præstemus. Puto equidem & piè sentio in ignito-
 rum illorum spirituum, quos scriptura Seraphim appellat, miro hanc Esaiæ 6.
 virginem sacratissimam fulgere lumine, & incomparabili ardere, amo-
 re ac perfectissimè iam suo dilecto perfrui, quem mortali etiamdum in-
 duta corpore tanto amoris æstu ac desiderio concupiuit, vt quamuis car-
 ne inter homines degere videretur, spiritu tamen toto versaretur in cæ-
 lis, inhians sponso suo. Potestis in Canticis Salomonis agnoscere dictum Cant. 1.
 in persona illius: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.* Mul-
 tos quidem inuenias, licet qui Deum amant, quosdam etiam, licet pauci-
 ores, qui præ Dei amore cuncta contemnant. Porro qui Dei amore lan-
 queant, paucissimos sanè reperire est. Talis amor propriè perfectorum est.
 Olim dum adhuc gentilissimi erroribus virgo Catharina implicita tene-
 retur, frigidum gerebat pectus erga creatoris sui amorem. Ast vbi cepit
 nosse Deum ac Dominum suum, felicissima mutatione repente alia eff. cta,
 sic exarsit purissimo & castissimo in Deum charitatis affectu & ardore, vt
 præ desiderij vehementia planè angueret, ac deficeret. Ind. mox cepit om-
 nem alienum execrari amorem, omnem à corde suo rerum visibilium spe-
 cium excludere, adeo vt iam lux ipsa & formæ quotidianæ fastidio illi
 essent.

o o o o

essent.

T. VI
22

Cantic. 7.

Ioan. 1.

Amoris Dei studiosis que eam duo in mudo necessaria sunt.

essent. Enimvero sancta quadam & laudabili superbia ex ipso, quo flagrabat Dei amore, cōcepta, nihil iam amare, nihil vel aspicere volebat, præter vnum omnipotentissimū, sapientissimum, opulētissimum, pulcherrimum, suauissimum, optimum Deum sponsum suum. Dicebat quoridie anime suæ: Quid tibi cum his visibilibus commercij est? Cur tandem illis te oblectare velis, quæ sunt homini cum brutis communia? Esto pulchra sint, delectabilia, sensibus plausibilia sint quæ offert hic mundus sublunaris: ecquid tandem habent simile pulchritudini & amabilitati illius, qui est autor & opifex omnium? Si in vestigio, si in vmbra, si in natu quodam & odore tantavis inest, vt ad sui amorem animos rapiant tanta importunitate, cum tamen multo plus habeant fellis adiunctum atque mellis, quid quæso de illo sentiendum est, ex quo cuncta tanquam ex suo fonte & origine profluxerunt? Cuius nimirum ineffabilis efficacia, dignitas immensa, amor suauissimus, conuictus iucundissimus, præsentia optatissima, benignitas liberalissima est. Ille totam me habeat, cuius charitate vulnerata sum, qui me sibi ex omni æternitate elegit, cui me semel totam dedidi. Fateor magna est pulchritudo in formis hisce corporeis, quæ nostris quoridie sensibus obijciuntur, ex artissima membrorum compositione & mirifico contextu, ipsoque coloris & lucis grato decore: ingens item pulchritudo est in numeris sonoris atque canoris, pulchritudo in illis quæ tangendi, quæ gustandi, quæ olfaciendi sensu percipiuntur. Sed habent ista tamen certos, eosque angustos limites suos. Deus autem meus, vnicus sponsus & amator meus, tota spes & gaudiū meum, summum & præcipuum bonum meum pulchritudinem, dignitatem, honestatem, amabilitatem habet infinitam: cuius confixa sum iaculis suauiter ardentibus, & sine dolore vulnerantibus: quem amare fructus summus est, summa nobilitas, suauitas incomprehensibilis: qui ad interioris hominis mei aures iugiter personat: Cum mūdo isto præsens, absens vt sis volo: Dies noctesque ames me, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites me speres, me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus. Ita nimirum dilectissimi totam sibi vendicarat hanc venerandam & admirabilem virginem Christi flagrantissimus amor, qui non sinebat eam aliud cogitare quam Christum, qui in ea mundum omnē penitus extinxerat. De quo licet possent multa adhuc auditu iucunda referri, tamen quia plerique adhuc longē ab hac perfectione absumus, omni sibi interim hisce sublimibus, & quæ vitæ nostræ mensuram excedant, de illis potius loquamur, quæ nos huc tandem perducere queant. Non omnium est perfecti amoris effectus capere: sed tamen omnium est co niti, vt quandoque possint perfectum amorem adipisci. Quo sanē vt mihi videtur, duo quædam haud mediocriter promouent, eos præsertim, quorum adhuc angusta & tenuis est virtutum suppellex, & qui se primum Deo dederunt, cupiuntque relictis vitiorum tenebris, veræ luci, quæ Christus est, inharere. Illis ergo vel maximè contulerit primo quidem studere agenda penitentia: deinde diuinorum beneficiorum sedula commemoratione ad serenioris cuiusdam & tranquillioris conscientia lucem aspirare, donec tandem paulatim ad plenam perfectamque perturbationum omnium extirpationem, Deo.

Deo fauente pertingant, & Christi perfecto amore inflammentur. Et vt nouerint eiusmodi quznam sibi proponere debeant, vnde salubri dolore compungantur, pauca nos hic recensebimus.

Itaque, qui peccatis deditus fuit, cupitque redire in gratiam cum Deo, quotidie ea quae subiungimus sibi ob oculos reducer, de singulis ex animo dolens ac ingemiscens. Primum est, amicitia Dei amissa. O quanta hic occurrit materia acerbissime dolendi Quid est enim Dei amicitiam perdidisse, nisi seipsum vita priuasse? Vita enim animae Deus est, cuius qui à se exclusit amicitiam, vitam quoque suam exclusit necesse est. Si autem licuit ethnico illi dicere, sole me mundo tollere videntur, qui amicitiam se vita tollunt, qua à dijs immortalibus nihil melius habemus, nihil iucundius, quid de violata veri Dei amicitia sentiendum est? Doleat ergo peccator se sua iniquitate Dei amicitiam repulisse. Secundum est, bonitas Dei contempta. Quid benignius, quid ad benefaciendum, ad ignoscendum, ad gratificandū promptius illa clementissima summi creatoris natura? Qui sic amat homines, tanquam ipsius salus ex illorum salute pendeat: sic curam gerit omnium & singulorum, quasi ipsi bene esse non possit, si illis malè sit. Et tamen tantam eius bonitatem contemnit peccator vilis & indignus, quando sponte sua consentit in peccatum mortiferum. Tertium est, vita improba & scelerata. O si quis velit attendere, quantam vno quolibet peccato & sibi poenam, & Deo iniuriam, & creaturis Dei molestiam pariat, habebit certè vnde totus soluat in luctum acerbum & perpetuum. Vita mala tam est iniuriosa Deo, tam perniciofa ipsi homini & alijs, qui eius exemplis corrumpi possint, tam creaturis omnibus infesta, vt mirum sit non totum simul mundum insurgere in eum, qui vel semel ausus sit mortifero se scelere commaculare. Quartum est temporis ac virium animae & corporis perditio. Qui enim peccat, non solum tempus perdit, quo nihil est pretiosius, sed etiam animae & corporis sui vires miserandum in modum eneruat. Mors enim animae, quae peccati consensu incurritur, non vacat magnis & multis, etiam corporis nocementis. Imo verò plerique peccando ipsi sibi celeriore[m] asciscunt mortem, & morbos graues, vt alia multa praeteream. Quintum est, violatio praceptorum Dei & Ecclesiae ac superiorum. Nisi intolerabilis & execrabilis esset iniquitas diuinas prauaricari leges, nunquam clementissimus Deus cui proprium est misereri semper & parcere, tam dira constituisset supplicia in eos qui non obtemperant iussis illius. Ipsa igitur iniquitatis immanitas intimo peccatore dolore cõficiat, quod ausus fuit Deum immensae maiestatis, cui omnes creaturae summam debent obedientiam & reuerentiã, sua improbitate offendere. Nec puer minus sibi esse dolendum, si Ecclesiae & superiorum leges contempsit: quando contemptus ille omnis in Deum redundat. Sextum est, debilitas repugnan-di aduersus vitia, itemque poenitendi ac progrediendi in virtutibus. Potest id merito dolorem ingerere peccatori, quod culpa sua hanc contraxerit vel auxerit infirmitatem. Peccatum enim admodum eneruat vires hominis, vt iam ante dictum est, & quo crebrius repetitur, eo fit homo imbecillior. Quod vitia attenderet, qui se dicunt in aetate senili poenitere velle, cum tamè ea aetas ob malam consuetudinem vitae superioris

Volenti redire cum Deo in gratiam quoniam sint necessaria.

Amicitiam Dei perdidisse quantum sit damnum.

Bonitas Dei quanta sit, quae ea defendatur.

Vita mala quae sit Deo omnibusque creaturis odiosa.

Peccans quoniam tempus, animae corporisque vires perdat.

Peccato vt Dei, Ecclesiae, superiorumque, violetur praecceptum.

Peccatum vt eneruet vires hominis.

T. VII
22

Peccato quoniam negligantur.

pene inepta sit ad agendam poenitentiam. Septimum est, multiplex & magna laborandi, orandi, meditando, legendi, sacras conciones auscultandi, aliisque pietatis opera exercendi negligentia. Si quis bene perpenderit nullum esse tam breue temporis punctum, quo non maxima quis possit apud Deum lucra sibi comparare, nonne ingentem habet mœrendi occasionem, quod non solum tanta neglexerit salutis suæ commoda, sed etiam interim male viuendo plurima sibi detrimenta corporis & animæ attulerit? Totum hoc vitæ nostræ spacium ad agendam poenitentiam & Dei gratiâ conciliandam datum est. Quod qui ad alios accomodat vsus, negligitque ea, quibus possit veniam & gratiam consequi qualia sunt, oratio, meditatio, operum bonorum sedula executio, atque id genus alia multa, miserimus est, quia stultissimus. Octauum est, consuetudo & velut habitus quidem & necessitas peccandi. Hac quisquis laborat mala scilicet consuetudine, is reuera miser & miserabilis est, ac omni lachrymarum fonte plangendus.

Peccator vt consuetudinem malam incurrat.

Doleat ergo acerbè, clamet ad Dominum, beatissimæ semperque virginis Mariæ, & omnium sanctorum suffragia ambiat, alios quoque bonos homines sibi apud Deum precatores adhibeat, & pugnet acriter aduersus semetipsum, donec mala consuetudo meliori viuendi ratione & assiduitate frangatur. Principijs obsta, ait Poeta, sero medicina paratur, Cum mala per longas inualuere moras. Reuera morbus penè immedicabilis longa & inueterata peccandi consuetudo, At tamen nemo desperet. Christi pietas vincit omnem humanam malitiam & peruersitatem. Nonum est, ingratitude, qua sapius recidit in peccata remissa. Vulnere repetita ægrius curantur. Magna profecto ingratitude, offendisse Deum, & illius benignitate veniâ esse consecutum, & tamen rursus crebro ad eadem perpetranda mala reuerti. Lugeat ergo peccator, & iniurias optimi & dignissimi creatoris in seipso viciscatur, firmetque animi propositum aduersus peccati iterationem. Decimum, charitatis extinctio cuiuslibet peccati lethalis perpetracione. Caritas efficit, vt cætera hominis bona Deo placeant. Vbi autem charitas abest, nihil esse potest gratum Deo, quantumuis grande sit & eximium. Quid igitur animi habere debet is, qui tam præclare se virtute priuauit? Perdatur enim charitas, quoties consensus præbetur peccato mortifero. Amissa autem charitate, moritur anima, moritur etiam quicquid ab ea vnquam bene gestum est, aut geritur. Lugeat ergo peccator, & omni mora postposita, studeat amissam recuperare charitatem dolendo, confitendo, satisfaciendo.

Peccator vt ingratus sit Deo.

Peccatum vt charitatem extinguat.

Vndecimum est, omni timore reiecto, tam impudenter in diuinæ maiestatis præsentia multis & grauibus se sceleribus obstrinxisse. Pensitet istud maturè ac diligenter, & totus horrore ac mœrore contrahetur, mirabiturque non se iam pridem terræ hiatus absorptum esse, vel dæmonum dentibus disceptum ob tantam omnipotentis Dei contumeliam. Ista charissimi mente deuota pensculanda sunt, & ad singula ingemiscendum. Verùm, ne quis horum consideratione fiat pusillanimis & procliuius in desperationem, fiduciam quandam erga infinitam Dei misericordiam concipere debet. Ea autem comparanda est per diuinæ misericordiæ sedulam implorationem, vitæ in melius commutationem, orandi assiduitatem, Dominicæ passio-

Peccato quâ grauius Dei maiestas offendatur.

Fiducia erga Dei misericordiam quomodo concipiatur.

passio-

passionis deuotam commemorationem, & pro peccatis suis oblationem, penitentiae austeritatem, honorum, voluptatum, vanitatum contemptio- nem, sanctorum orationum, maxime beatae semper virginis Mariae & qui- bus speciali quis amore affectus est, inuocationem, temporis vtile ac pro- uidam deductionem, propriae voluntatis mortificationem, & diuinæ pie- tatis ac clementiae contemplationem, quae non vult mortem peccatoris quantumuis flagitiosi, sed vitam & respicientiam.

Eccl. 1.

Atque vbi his alijsque modis nonnihil à vitijs purgatum se quis sense- rit, deinde liberiore quodam animo conferat se ad commemoranda & re- uoluenda Dei beneficia, nesci semper suis velit cogitandis peccatis immo- rari, abiecto maneat & seruili quodam animo, qui nihil nisi timere & tre- pidare, ac Dei seueritatem suspectam habere, non pia erga Deum fiducia eri- gi non potest. Hic verò immensus sese sanctarum meditationum campus offert, vbi nullus possit exitus inueniri. Quis enim sufficiat Dei beneficia nume- rare, quis ea vel intelligere? Omnino hoc pelagus impenetrabile est. Quot ille nobis & quanta naturae, quanta gratiae dona contulit? Ex omni aeter- nitate summe dilexit nos: cum non essemus, condidit nos ad imaginem & similitudinem suam, nobiles nimirum, illustres, eximios, regis aeterni fili- os, dominos omnium creaturarum (omnia enim subiecit sub pedibus no- stris) & si perstrissemus in obedientia, auxisset in nobis dona sua. Nec ta- men etiam perditos deseruit nos, sed seipsum exinaniens, formam serui ac- cepit, vt serui perditis poenas ipse lueret, vt ingratitude erga se nostram in seipso vlceretur. Quid hac benignitate admirabilius? O cor saxeam, quod ea non emollitur. Sed quid ego Dei beneficia hic enarrare molior? Vos ea ipsi charissimi vobiscum attentis cordibus recolite, & sitis grati Deo. Sit haec vobis in hoc exilio etiam inter medias temporalium negotiorum turbas occupatio, propria lugere peccata, & Dei beneficia grata mente per- pendere. Ita fiet, vt in vobis sensim crescat odium vestri, & amor Dei. Non potest sese odisse, nisi qui sua ex animo peccata oderit: non potest amare Deum, nisi qui acceptis ab illo beneficijs gratum se praebere contendat. Non ita debetis charissimi rei familiari vel tuendae vel augendae esse dediti, vt non multo maiorem animae vestrae curam geratis. Quicquid erga res terre- nas sollicitudinis geritis, momentaneum est, & cum ipsa vita temporaria fi- nem accipit: sed anima immortalis est. Ergo illi potissimum inferuendum est. Potest vos, si attendere velitis, multum permouere admirabilis & pre- clarissimae virginis Catharinae exemplum, quae licet esset regis filia, & incō- parabili corporis pulchritudine, animi sapientia, rerum affluentia se pra- ditam non nesciret, tamen haec omnia contempsit pra amore sponsi sui Chri- sti Iesu. Nolebat animum suum rerum visibilium amore implicare, vt pos- set perfectius diligere Deum. Quotidie multa illi se ingerebant mundi ob- lectamenta, quae vel fortissimos possent virorum animos frangere, tamen mansit immota, tanquam nihil horum ipsa sentiret: non ob aliud sanè, ni- si quod praesentia tanquam iam praeterita despiceret, futura & semper man- sura semper ob oculos haberet. Vnde fiebat, vt semper animo compuncta, seipsam & mala sua plangeret, atque rursus ex Dei & futurorum contem-

Beneficia Dei quoniam rumi- nauda sunt.

Psal. 1.

Hebr. 1. Philipp. 2.

Odiū nostri & amor Dei quomodo in nobis cres- cant.

Catharinae erga spon- sum suū Chri- stum amor quantus.



T. VI
22

platione, caelestis amoris gratia perfusa, tota in Deū transfret. Nostis quanta egerit cruentus ille carnifex Maxentius, vt eam vel blanditijs falleret, vel cruciatibus superaret. Sed vtrobique perseverauit fortiter in Christi amore, nec blandis eneruata pollicitationibus, nec terribilibus conculsa terroribus. Quod vtique totum fecit amor Christi, qui eius pectus ita sibi vendicarat, vt nulli ad id aditus pateret hostili machinationi. Tanta est vis charitatis, tanta amoris diuini efficacia, vt cor illo praeditum velut murus quidam impenetrabilis sit aduersus omnes quorumlibet hostium insidias & machinationes. Hoc igitur fortiter inflammata beatissima Catharina, aut poenas corporis omnino non sensit, aut si sensit, Christi contemplatione contempsit. Amor Christi omnem in ea priuatum amorem inordinati timoris parentem, penitus extinxerat. Quod itaque non poterat iam se amare nisi in Christo, nec timebat quicquam, nisi quod eam posset separare à Christo. O vere praeclearam virginem, quae inter micantes illas supernae Ierusalem stellas mirifico fulget lumine, totamque Ecclesiam gratissimo respersit odore insignium meritorum suorum. Quam imitari virtutis est, in quam ceu speculum intueri debent, quotquot inter huius fallacis mundi tentationes velut in procellosissimi maris fluctibus iactantur. Ab ea enim facile didicerit, vt se habere debeat, qua constantia adherere Christo, mundum contemnere, seipsum vincere, demonibus reluctari, & in agnita veritatis via persistere. Quis enim non summo sibi putet probro ac dedecori fore, si se finat à vitijs superari, quando oculis fidei cernit virginem, regijs ortam natalibus, & omnibus rebus bonis affluentem, tamen nullis neque blanditijs, neque supplicijs adduci potuisse, vt vel paululum à iustitia desisteret? Iam verò quid non admirationis, quid non laudis, quid non maiestatis habet, quod tanta eam Spiritus Domini Iesu sapientia impleuit, vt quinquaginta celebres ac doctissimos superaret Philosophos, quibus nemo posset æquiparari? Hoc vtique totum fuit diuini muneris: totum id fecit spiritus Christi, qui in illa virgine loquebatur, & per eam de tot praeclearis, egregijsq; viris triumphabat. O iucundum spectaculum, & castissima voluptate refertum, videre virginem teneram, delicatam, verecundam, mansuetam, humilem, cum tot, tantisque viris concertantem, ex illis victoriae palmam referre: sic omnium confutare rationes, argumenta dissoluere, machinas elidere, denique ora penitus obstruere, vt non possant vltra se cohibere, quin manibus & pedibus in virginis sententiam abirent, atque à virgine superari, Christo nomina sua darent, & qui prius summos professi magistros, per plures docuerant quicquid humano ingenio, arte & industria tradi potest, iam à virgine discerent prima fidei rudimenta, essentq; illius velut quidam catechumeni. Benedictus Deus Dei Filius, qui sponsam & martyrem suam tam insigni miraculo, tam eximio honore, tam rara ac inaudita virtute ornauit. Quid interim charissimi putatis in illa caelestium ciuium beatissima frequentia gaudij, quid tripudij, quid gratulationis exitit, cum cernerent virginem pudibundam, moribus castam, animo itissimam, sexu quidem fragilem, sed Christi virtute inuictam, ad Christi ouile traducere porcupos, sed ex lupis in oues mutatos, atque ex ipsius lupi tartarei medijs faucibus extractos?

Amoris Dei
efficacia
quanta.

sanctorum
exempla in-
spicienda.

Catharina
philosophos
superat &
Christo lu-
cratur.

IN FESTO S. CATHARINAE VIRGINIS.

663

tractos? Nec tamen hos solos Christo lucrificavit virgo sapientissima, sed ipsam quoque reginam Maxentij conjugem, & Porphyrium Principem militiæ cum alijs multis. Tandem ipsa illos tyranni gladio absumptos simili mortis genere secuta est, & nunc vivit vitam beatam, immortalem, omnibus delicijs abundantem, nullius indigam. Nec solum animæ hæc à Deo præstita sunt bona, sed & corpus illius maximo cum honore à sanctis Angelis in montem Sinai deportatum est. Videtis charissimi, quam multa extent in hac virgine plena admirationis, & omni honoris & pietatis studio prosequenda. Confugiamus ergo ad illam, tanquam DEO coniunctissimam atque charissimam, & illius preces precibus & lachrymis ambiamus.

Habet enim & id sibi à Deo concessum privilegij, ut quisquis illam sedulo fuerit veneratus, felicem sit obitum impetraturus. Dum adhuc licet, tales nobis charissimi, in futuro tremendo Dei iudicio patronos conciliemus, quorum gratia nobis proficit apud Deum, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum
Amen.

Sermonum de Festiuitatibus Sanctorum
F I N I S.



T. VI
22

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.